

Cap. 40. *A V G V S T I N V S*

Phrygia viguisse scribit Theodoret. Cyri episcopus: adeò ut Laodicena synodo (est autē illa Laodicæa metropolis Phrygiæ) sit vetitū, ne Christiani precarentur Angelos.

(*Angelorum cultu.*) Hoc fuit istorum hominum delirium, quod Angelos colerent. In quo primùm non distinguitur, vtrum bonos & què ac malos, an bonos tantum adorandos censuerint. Quod si malos, certè eos coluisse diabolos verum erit, atque ita fuerint turpissimè superstitionis, & furiosissimè dementati. Sin autem bonos tantum Angelos & cœlestes colendos esse docuerint, refutantur apertissimis sacræ Scripturæ locis, velut Coloss. 2. versu 18. Apocal. 19. versu 10, 22. ver. 8. Deuter. 17. versu 3. Deinde Patroni ipsorum orthodoxorum autoritate, quemadmodum Theodoreti patris in Epitome Decretorum diuinorum cap. de Angelis, & Augustini infinitis penè locis, imprimis lib. 10. de Cœlit. Dei. cap. 7. Lactanti lib. 2. & Arnobii lib. 3. Intelligunt, ait, se communiter honorari cum suo rege. Quoniam autem statim ab ipsa penè Apostolorum ætate cœperunt homines multa de Angelis curiosè philosophari, & definire, adeò ut Clemens lib. 6. Strom. dicat ex iis septem fuisse primogenitos quorum maxima sit potentia, & Tertull. in lib. De orat. Dominica, pios appelle Angelorum candidatos, colendos tamen venerandosque propterea non censebant, quod hi fanatici homines & heretici apertissimè falsissimèque voluerent. Meminit Chrysostomus Colos. 2. homil. 7. quorundam hereticorum, qui nos Deo, non per Christum, sed per Angelos reconciliatos dicerent, qui ab istis Angelicis videtur profecti: aut potius ab Avianis, quorum